



UNITED STATES OF AMERICA



FOUNDED 1836

WASHINGTON, D.C.



De Rosset (A. J.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Sub moderamine Viri admodum Reverendi,

GULIELMI SMITH, S. T. P.

ACADEMIÆ PHILADELPHIENSIS Praefecti;

NEC NON,

EX CURATORUM Auctoritate PERILLUSTRIUM,

Et Amplissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

Eruditorum examini subjicit

ARMANDUS JOANNES DE ROSSET,

WILMINGTONIENSIS

apud Carolinam Septentrionalem ;

SOCIET. MED. AMERIC. SOC.

— Siquid novisti rectius istis,


Candidus imperti ; si non, his utere mecum.

IV. Non. Junii, hora locoque solitis.

PHILADELPHIÆ:

Typis THOMÆ DOBSON.

M, DCC, XC.



Errata Typographica.

- pag. 11. lin. ult. pro *intem-* lege *intemper-*
13 — 24 pro *debilitantia* — *debilitantia*
— — 26 pro *stucenda* — *struenda*
26 — 21 pro *venticulo* — *ventriculo*

Viro Egregio,

ALEXANDRO MARTIN,
Civitatis Carolinæ Septentrionalis Præfecto,

Integritate incorrupta,

Et omnibus, quæ civem bonum sapientemque ornant,

Inclyto;

Item,

Viris maxime Honorandis,

SAMUELI JOHNSTON,
BENJAMINO HAWKINS,

In amplissimum Columbiae Senatorum ordinem

Electis;

Infuper,

HUGONI WILLIAMSON,
JOANNI BAPTISTÆ ASHE,
TIMOTHEO BLOODWORTH,
Et JOANNI STEELE,

In Columbiae Conventu,

Pro supradictæ incolis Carolinae

Vicem gerentibus;

His omnibus,

Ob eximium amorem,

Quo patriam civesque complectuntur,

Designatis:

Nec non,

ALEXANDER
Viro illustri,

BENJAMINO RUSH, M. D.

Medicinæ Theoreticæ et Practicæ

In Academia Philadelphienfi

Professori dignissimo ;

Præceptoris meo plurimum colendo ;

Ob multifariam eruditionem

Insignemque in arte Apollinea peritiam,

Non magis quam præclaras animi dotes,

Eximio :

Denique,

HENRICO TOOMER

HUGO
ARMIGERO,

JOHN
WILMINGTONIENSIS;

Ob maxima et plurima amicitia

Munera, quæ cum sibi, tum

Toti suæ familiæ ostendit;

Viro omnibus dilectissimo,

Virtutibusque multis quam maxime

Insigni ;

HOC OPUSCULUM,


Omni qua fieri potuit observantia,

INSCRIBIT

AUCTOR.



DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.



DE MORBI DEFINITIONE.

FEBRES miasmate paludum ortæ, paroxyfmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes: Paroxyfmo quovis die unico tantum.

HÆC definitio Culleniana mihi non nihil displicet; nam intermittentes non semper ex eodem principio, miasmate nempe paludum, originem ducere, postea patebit; et doctissimus Zimmermannus, suo in opere cui titulus est experientia in medicina, observat, exhalationes paludosas in Germania, tertianas; in Hungaria, febres petechiales; in Italia, hemitritæam; in Egypto et Æthiopia, febres pestilenciales producere.


FEBREM, cui nulla intermissio est, et remissio tantum, intermittentem appellare, absurdum esse videtur. Remittentes et intermittentes ex similis principio naturæ oriri, et eodem modo curari, non negabo; at si, ob eam causam,

lam, eodem nomine ambæ designatæ sint, cur febres maxime continuas non intermittentes appellemus, quoniam sæpissime cum iis conjunctissime cohæreant ?

TERTIANA, ait Cullenus, variat paroxysmorum recursu, alternis diebus revertens, paroxysmis eodem die binis. Igitur, cum paroxysmum quovis die unicum tantum esse dixerit, certe hallucinatus est ; nam hæ sententiæ inter se repugnare videntur.

SIC intermittentes definire vellem ; febres idiopathicæ paroxysmis pluribus, cum apyrexia alternantibus, constantes.

QUONIAM perpauca accuratæ morbi historiæ a Cullenno traditæ adjicienda sunt, de hac re, ad suas Primas Lineas referendi veniam impetrarem..



DE CAUSIS REMOTIS.

QUONIAM morborum curatio, causarum peritia proximarum præcipue nititur ; et hæc a plena remotarum investigatione fere tantum obtinetur ; his demum attentionem adhibere liceat.

QUANDOQUIDEM causæ febrium, tum intermittentium tum continuarum, remotæ quamplurimum conjunctæ sunt, de iis simul differendum est. Nihil tamen in paginis sequentibus traditum, ad febres inflammatorias, ni hoc aperte dictum est, admoveri velim.

Ex omnibus medicorum scriptis, causas febrium remotas esse vires, quæ, corpori humano applicatæ, incitationem diminuunt, colligi potest; vel etiam operatione directâ, cujuscumque sunt contagium, miasma, frigus, deprimentes animi affectus, hæmorrhagiæ, &c. vel indirectâ, quales, venus immodica, inebriatio frequens, studium assiduum, &c. Contagium et miasma esse causæ febrium præcipuæ asseverata fuerunt; illud continuarum, hoc intermittentium, Hæc norma autem generalior est, quam ut admittere possimus; nam, ut posthac apparebit, quæque debilitans noxa eundem effectum præstabit. Etsi contagium morbum ejusdem generis cum eo corporis, a quo ortum, plerumque efficiet; hoc tamen non universe verum est. Cl. Lind, nonnullos typhi casus a variolarum contagione orientes videbat. Russel, sua in dissertatione de morbis Hierapolis, nos certiores facit, ut pestis aliquando sub intermittentis forma appareat. Intermittentium a contagione dysenterica progredientium documenta permulta invenirentur. Tertianas in dysenteriam, et hanc in tertianam frequenter mutari Cleghornius observavit. Non satis adhuc apparet, cur miasmata solarum causas intermittentium esse, crederemus; nam intermittentes in continuas sæpe degenerare, et has in illis tam frequenter terminare, facta fere innumera ostendunt. Ut mutuo inter se variantes, Sydenhamius, Senac, Van Swieten, Lind, Cleghornius, et alii intermittentes et continuas descripserunt. In locis, ubi contagio nulla suspicari posset, typhus icterodes, quæ ad classem continuarum a Culleno refertur, frequenter originavit. Febres sæpissime typos mutare, tertianas et quartanas quotidianarum, quotidianas remittentium, et has maxime continuarum locum obtinentes, ipse Cullenus observavit. Ex his igitur concludere fas est, omnes febres, inflammatoria excepta, iisdem causis oriri, graduque tantum differre. De contagione, quibusdam saltem speciebus, et de miasmate

mate certe, quæstio fit, an febrem sine aliarum auxilio noxarum debilitantium unquam producerent. Cum intermittens paroxysmorum repetitio, a remediorum usu, vel aliter cessavit, an eorum reditus, qui operationem infra purgantis sequitur, miasmatis reapplicationi tribuatur? Vir ingenuus in hac urbe, me certiore fecit, quod a victu tenui, cui ad hæmoptoen curandam subjectus fuerat, pluribus tertianæ regularis paroxysmis invadebatur, quæ corticis usu, et diætæ rationis mutatione, decessit. Intermittentem mediæ salivationi supervenire Mercurialis et V. Swieten viderunt. His in exemplis miasmata non suspicata essent. Lind dicit, singulas species contagionis, certa temperamenta, quæ valide suæ actioni resistunt, et alia, quæ plurimum obnoxia sunt, reperire. Cui nisi incitationis statui tunc temporis prævalenti, hæc differentia attribui possit? Quod hæc vera explicatio fit, nonnullis hominum exemplis, eodem auctore traditis, confirmari videtur, qui multas dies post remotionem a locis infectis immunes fuerunt, at demum, frigore vel humiditate applicata, aut aliqua intemperantia commissa, latens virus in actionem excitatum fuit, quod, verisimile est, alioquin systema nunquam affecisset.

INTERMITTENTES, quæ in paludosis locis, præcipue in Civitatibus Australibus, tam crebræ sunt, miasmati soli imputatæ fuerunt, dum omnes aliæ debilitantes noxæ sunt penitus neglectæ. Est dignum observatu, ut plerumque pauperes tentantur, qui male vestiuntur, et victus et potus sat generosi expertes sunt; qui meridie ipso nimio labore fatigati, vespere nebulis et copioso rori, quæ iis in locis frequentissima sunt per insalubre tempus, exponuntur. Contra, qui, omne nimium vitantes, laute vivunt, et lætum poculum exhauriunt, raro afficiuntur. Spirituosam corticis tincturam, alii in spiritu vini infusionem, et cerevisiam cum

cum spiritu vini mixtam certissime occurrere intermittentibus et remittentibus malignis in Hungaria grassantibus, Lind invenit.

HÆC omnia, ut opinor, satis ostendunt, morbum ex stimulantium penuria potestatum, plusquam miasmatis applicatione pendere; et hominem paludum effluviis expositum, febre continua vel intermittente vel nulla, secundum incitationis statum, correptum iri.

NUNC de frigoris operationibus, ut causis febrium remotis, inquirere progrediamur.

AD vitam, tam vegetabilium quam animalium, sustinendam adeo necessarius est caloris stimulus, ut, hyeme appropinquante, permultæ plantæ, et nonnulla animalia torpida fiunt, et quasi vivere cessant, donec sol revertens vernalium impulsus radorum longe lateque diffundere incipit; vel donec manus artis benigna defectum supplet, scintillulamque latentem excitat.

DIVERSIS in animalibus ad principium vitale fovendum, diversi caloris gradus necessarii sunt. Temperatura homini adapta, circiter 63^o thermometri Farenheitiani esse videtur; at quoniam caloris generandi facultatem possidet, effectus, qui alioquin temperaturæ mutationem sequerentur, prævertuntur. Attamen certe rationi consentaneum est concludere, omnem temperaturæ augmentationem supradictæ, cum stimulantis actionis augmentatione, et diminutionem, cum diminutione commoda, concomitatum iri. Nuperrime tantum est, equidem credo, quod hic philosophicus rei conspectus captus fuit; nam quatuor vires, quarum

quarum aliquæ directe inter se repugnant, frigori, quod nihil nisi caloris diminutio est, attributæ sunt*.

UT verum indubitabile asseveratur, quod, frigus *semper* plus minusve sedativum est;—aliquibus in conditionibus, corpori stimulus evadit;—huc accedebat etiam, ut efficaciter astringens sit, corporis superficiei contractionem movens;—per astringentem effectum cæteris corporis partibus impertitum, quoad totum systema tonicum fit. Postea dicitur, quod hi frigoris effectus eodem tempore existere non possunt, sed successione varie jungantur;—effectum, saltem effectus diurnitatem, stimulans prævertat, qui aliter a vi sedativa proveniret;—astringentis effectum, vis stimulans etiam prævertat;—sed cum stimulante, vis tonica (quæ paulo ante ab effectu astringentis cæteris partibus communicato proficisci dicebatur) semper forte conjuncta sit.

HÆ frigoris operationes, sic inspectæ, mihi difficillimæ intellectu apparent. At nunc effectum frigori imputatum, nempe morbos inflammatorios producendi, consideratum adeamus.

CUM quod antea dictum fuit, in memoriam revocemus, frigus esse vim negativam, et nil nisi caloris stimuli diminutionem, mirabile nobis videbitur, ut medici, omnibus in ævis, tanquam primariam causam morborum in nimia operatione stimulante consistentium, id habuissent. Si ex frigoris actione morbi inflammatorii originem ducerent, quo sævius illud, eo magis hi in numero crescere debent;

* Vide Cullen's First Lines; ubi de vi absoluta et relativa frigoris tractatur.

debent; nam magnitudo effectus plerumque pro rata parte magnitudini causæ respondet. Sed rem non ita esse, omnes assentient; quippe nemo nescit, hujuscemodi morbos in media hyeme, quo tempore frigus perpetuum severumque est, non tam frequenter incidere, quam in autumno et vere, ubi cælum minus frigidum est, et sæpe cum calore alternat. Medicus in hac urbe, magna observatione et multa experientia, mihi narravit, duas hyemes frigidissimas diuque continuatas se meminisse, præcipue eam annorum 1779-80, quibus vix morbi inflammatorii videndi sibi occasio accidit. In commentario Vintringhamiano notatum est, quod in hyeme perfrigida, ubi mercurius in thermometro subito viginti gradus ascenderit, morborum agmen inflammatoriorum magnopere augebatur. Si harum causa affectionum non frigus sit, quare, aliquis percontaret, in temporibus æstivis non frequentiores sint? Huic respondeo, omnia stimulantia aut valida aut diu continuata corpus debilitare. Exercitationis nimix, et potuum spirituosorum opii-que usus immodici effectus sunt hujus documenta; huc etiam referri possunt vehementis iracundiæ subitaneique gaudii effectus. Calor æstatis immoderatus, debilitatem inducendo, morbis ab affectionibus inflammatoriis valde diversis viam sternit.

Si quæreretur, unde corporis et animi vigor, qui regionum incolas frigidiorum designat, et qui etiam in hyeme magis temperatarum sæpissime apparet? Nodum dissolvere volo observando, hunc non directum sed indirectum frigoris effectum; et focus, vestitui bono, cibo nutriente, potui generoso, motuique muscolari, quæ eo tempore prorsus necessaria fiunt, attribuendum esse. Carolinæ Septentrionalis in hyemibus moderatis ipsis, Æthiopes miserrimos vidi, quibus omnia vitæ solatia defunt, quique omnibus cæli intemp-
pest-
atibus

atibus objiciuntur, totos tremere, quasi motus voluntarij facultas fere omnino defecerat. His in exemplis, frigus longe a vigore impertiendo abfuit.

AT frigus, ad morbos inflammatorios producendos aliquomodo conferre videtur, nempe reddendo corpus caloris aliorumque stimulantium actione facilius affectu. Quæ dicta fuerunt his de morbis frequentioribus tempore quo caloris frigorisque vicissitudo est frequentissima, hoc confirmant. Membrorum frigore adustorum, calori subito objiciendorum periculum cuique rustico notum est. Cura igitur semper adhibetur, ut pars affecta quamprimum nive perfricetur, vel aqua frigida immergatur; harum temperatura plerumque aliquanto major est quam partis laborantis. Sed etiam hanc post operationem æger auctum ad calorem pedetentim introduci debet; nam aliter actio, superquam facultati satis est, excitabitur, et mors partis sequetur. Simile exemplum a Huntero notatur, qui dicit, aves antiquis in fastigiis hyemantes, captas et in conclave modice calefactum illatas, primo vigescere videri, at brevi subito fato defungi.

AB omnibus his rebus, pneumoniam, rheumatismum, catarrhum inflammatorium, &c. non frigoris, ut fere omnibus videtur, sed caloris esse progenies, nonne cum Cel. Brunone nobis concludere liceat?---Quod catarrhum spectat; morbum non a perspirationis suppressione originem ducere, Gardiner Col. Reg. Med. Edin. Præses, censet; et suo in opere cui titulus est, Observations on the Animal Economy, de staticis Keillii experimentis mentionem facit, a quibus in catarrho, hanc excretionem non esse diminutam apparet.

PRO phlogistica diathesi diminuenda in variolis, cœli aliquanto frigidi commodum diu cognitum fuit, et ejus usum in rubeolam, pneumoniam, catarrhum, similesque affectiones, se cum felicissimo eventu transtulisse, Bruno nos certiores facit.---Verno tempore anni 1789, quo rubeola apud Burlingtonienses Nova in Cæsarea grassabatur, frigidarum administratio rerum, ut credibiliter audiverim, egregie successit. Februario proximo, una in domo prope ad hanc urbem, quinque aut sex pueri hoc morbo laborantes sub tutela medici summa prudentia fuerunt, qui eos modo supra memorato, maximo cum fructu, tractavit; nam brevi salutem recuperaverunt; et tam levis fuit morbus, ut domi detentionem vix postulaverit.

DE argillacei usu pilei in phrenitide, permulta dicta sunt: frigori ejus applicationem concomitanti, commodum sine dubio tribuendum est.

MORBOS igitur inflammatorios frigus aliqua operatione directa, non gignere; sed e contrario, in iis utilissimum esse remedium, videtur. Quamobrem fieri aliter non potest, quin potentia debilitans, pro gradus et diurnitatis ratione, sit; major erit hic effectus, si alia debilitantia comitentur, qualia sunt jejunium, quies, aeris humiditas, &c. Diu observatum fuit, frigidum humidumque cœlum scorbuti generationi magnopere favere. Humiditatem hoc facere, non, ut suspicantur multi, fibris relaxandis, et perspiratione obstituenda, sed calore facilius e corpore deducendo, remur: Hinc indusio laneo opus est nautis, piscatoribus, aliisque, qui in humidis locis occupantur.

FRIGORIS applicatio sævissimi tactus sensum primo afficit; dein motus voluntarii facultatem imminuit, postea

abolet. Si diutius adhuc continuetur frigus, sensus omnes hebescunt, sopor, et paulo post, mors ipsa supervenit. Boerhaavius, qui a frigore vitam ferme amiserat, ait, “ Quando
 “ subitum frigus hominem quiescentem opprimit, sensus
 “ oritur ingratus: Sed si idem diutius frigus tentarit, som-
 “ nolentia adeo grata obruitur, ut tantam suavitatem vita
 “ redimere velles. Si indulseris his firenibus, captus es,
 “ et cerebrum, quod nunc quiescere incipit, quiescit penitus,
 “ et placidissima mors somnum excipiet.”

FRIGUS revera debilitare, argumentum potentissimum est, quod incolæ regionum maxime septentrionalium, æque ac torridæ zonæ morbis, non in nimia incitatione positus, sed generis longe diversi, obnoxii sunt. Pontoppidan, in sua Norvegiæ historia, dicit, pestem in ista regione sæpius grassatam fuisse, semelque urbem Christianæ fere vastasse. Scorbutus, lepra, febresque malignæ et contagiosæ sunt morbi valde communes: De morbo inflammatorio nullo, præter catarrhum, mentionem facit. Navis præfectus, cui nomen est Walden, qui in Suecia diu vixerat, viro medicinam facienti hac in urbe narravit, febres ibidem universè nervosas vel putridas fuisse. Idem de Russiæ morbis, ab exinde medico dictum est.

IN pluviosis calidarum regionum tempestatibus, quando humidum et algosum est cælum, intermittentibus, remittentibus, putridisque febribus, cholera, &c. homines sunt valde obnoxii. Plures intermittentes vidi, quæ ad nihil, nisi imbri objectionem, imputarentur; et in mense Februarii 1787, ipse, glacie fracta, in rivulum incidi, et tertiana regularis me extemplo invasit. Hic miasma nullum extitit, quoniam tota terræ et aquarum superficies nive glâcieque operata fuerat.

Ex

Ex supradictis ergo sequitur frigus semper semperque debilitare; et vim stimulantem, quæ aliquando ab eo oriri videtur, non frigori, sed alicui stimulo, ejus applicationem vel comitanti vel statim excipienti, attribuendam esse. Vis tonica ex eodem fonte derivatur; hinc frigidi operatio balnei facilis intellectu est. Vis frigoris astringens, vel apparens superficiei contractio, fluidorum defectui in minimis vasibus, ex tono vel incitatione per caloris stimuli abstractionem diminuta, orienti, imputanda est. Quod hæc hujus phænomeni vera explicatio sit, hinc inferatur; ut secunda in valetudine, vasa extrema satis excitata, propria fluidorum quantitate distenduntur; at ubi aucta incitatio est, quæ, ab stimulorum applicatione parti externæ, enascitur, auctus fluidorum affluxus succedit, et vascula partis insigniter distenta, observemus; at in exemplo, de quo nunc agitur, vasis cutaneis, partim solito caloris stimulo orbatis, fluidorum ad ea affluxus minuitur; et ab elastica structura contrahuntur.

PROXIME veniunt deprimentes animi affectus, ut vocantur, considerari. Hi, ad appetitum extinguendum, circulationis impetum minuendum, cordis palpitationem, et quibus in exemplis, syncopen et mortem ipsam efficiendam, pares sunt. Illi etiam æque ac frigus, cutis pallorem, superficiei contractionem, membrorum tremorem, et interdum spincterum relaxationem, inducere queunt; metus præcipue hos affert effectus,

“IT is” ait Lind, “a received opinion that fear is a cause of itself sufficient to produce in certain dispositions, a bad or malignant fever. There are at least many instances in besieged towns where no other reason could be assigned for the rise of malignant disorders, than the dejection
tion

tion of spirits, grief and panic of the inhabitants, occasioned by the bombardments, and the apprehensions of a violent death from some sudden assault of the enemy."

V. Swieten virginem viribus integram novit, quæ sciuri conspectu perterrita, statim paroxysmo quartanæ corripiebatur, quæ tota hyeme duravit, et verno calore appropinquante, decessit: Sex menses post liberationem a febre, sciurus in gremium coniectus, iterum plures paroxysmos excitavit. Hos metus effectus, ut Zimmermannus observat, non admiremur, quoniam tam arcta est, inter animum et corpus, connexio, quod Tristram Shandy tunicæ et ejus suffulturæ facete comparaverit; quarum si aliam, alteram etiam corruges.


CULLENUS de febrium causis differens, declarat, metum manifeste systema debilitare, et potentiam sedantem esse, et de mania dicens, incitationem minuere; at, qua de causa nescio, sententiam mutasse videtur, cum tonica et antispasmodica in epilepsia indicari, et tonica esse metum vel aliquantum terroris, &c. dicit.

HÆMORRHAGIÆ aliæque evacuationes, præsertim si profusæ sint, febrem inducere possunt. Hujus exempla in puerperis frequentissime occurrunt, ex sanguinis dispendio, quod inter parturiendum evenerat. Meridionalibus in Civitatibus intermittentium semper periculum a venæsectione autumnali oritur. De purgantium usu, præmature post refectionem ab his febribus, Sydenhamius nos admonuit; quoniam auctis cum viribus redire efficiunt: ubi autem ex sua theoria, ad morbificam materiam expellendam, ea præscribere ausus est, finita purgandi operatione, ejus effectum impediri, opio exhibito, curavit. Idem etiam notavit,

tavit intermittentes vernaes venæsectione et catharticis oppugnatas, se repugnante, usque ad autumnum protractas esse; et autumnales, præsertim in senibus, sic tractatas, mors secuta est.

ALIÆ potentiæ, operatione directa febres gignentes, sunt vel cibi penuria vel satis superque ejus, qui parum nutrimenti continet; potus aquosi, exercitationis defectus, &c. Hæc omnia ex supradictis intelligantur.

CAUSÆ, quæ indirecte agere dictæ sunt, sine dubio, vires systematis demunt, et cum aliis potentiis debilitantibus convenientes, ad febrem efficiendam multum valent. Typhi in homine hic mihi occurrit exemplum, quod a pictarum lusu chartarum triduum continuato, sine somno sineque cibo, sed potus spirituosus magna cum copia, originavit.



DE CAUSA PROXIMA.

THEORIÆ permultæ, variis temporibus de proxima febrium causa pervulgatæ, tandem Cullenianæ succubuerunt, quæ, hac saltem in urbe, nisi nuperrime, fere univèrse accepta est. Sed quamvis ingenium abunde exhibuerit, opinor, multa deficientia, a ratione abhorrentia, et inter se repugnantia, in illa doctrina* contineri, quorum pauca monstrare conabor.

imo As

* Vide Cullen's First Lines, Vol. I.

1mo. ASSEVERAT, “ That some part of the cold stage is to be attributed to the same power; (viz. vis medica-trix naturæ); because the cold stage appears to be universally a means of producing the hot, &c.” Et postea, “ In the time of the cold stage there seems to be a spasm induced every where on the extremities of the arteries.”--- Si probari possit, frigoris statum omnino abesse (quo durante, hæc vis in spasmo formando ad calorem sustinendum agere existimatur) in quibusdam febrium valde periculosarum exemplis, cui causæ calor fit attribuendus? Hujusmodi exempla a Cleghornio visa fuerunt. Ille eos paroxysmos præcipue formidandos esse declarat, qui initio sine prævio frigore eruperunt. Febres, frigore carentes, Gregorius aliquando vidit. Remittentis exacerbationes, sine frigoris interventu, sæpissime accidere bene notum est.

2do. DICIT, “ That the degree of spasm formed, and the obstinacy of its continuance depend in many cases upon the power of the causes inducing debility, and upon the debility induced; for the more powerful the debilitating causes and the greater the debility produced the paroxysms are the longer and more frequently repeated.” Non multo post dicitur, “ That the longer duration of the paroxysm depends upon the obstinacy of the spasm, or the weakness of reaction.” Hic autem spasmi pertinacia non, ut antea, debilitatis gradui, sed causæ directe diversæ, nempe aucto arteriosi systematis tono, vel diathesi phlogisticæ, ascribitur; cujus singulæ causæ, ut affirmat Cullenus, ad mutandas intermittentes in febres continuas spectare videntur. Quam parum rationi congrua sit hæc sententia, cuique, de universo corticis peruviani usu in hoc morbo secum volventi, apparebit; per cujus vim tonicam, si hæc opinio vera esset, intermittens non curari
sed

sed in continuam mutari debet. Si autem ad eam doctrinam stricte adhæreamus, *ars per expectationem curandi* introduceretur, et omnes curationes nostræ vis medicatricis naturæ operationi relinquerentur; nam tonica vel stimulantia, non sine mutationis supra-relatæ introducendæ periculo, adhiberi possent; neque debilitantibus, ni similis cum discrimine eventus, ob reactionem languidiorem introductam, uteremur. Opere consulto, inueniemus illustrem auctorem ipsum, non ad suam doctrinam adhæruisse; nam non solum stimulantia et tonica, sed etiam evacuantia varia præscripsit.

3tio. "ALTHOUGH," inquit Cullenus, "the suppression of all excretions and the shrinking of the external parts (quæ doctrinæ spasmodicæ fundamenta sunt) may perhaps be imputed, in part, to the weaker action of the heart in propelling the blood into the extreme vessels; yet as these symptoms often continue after the action of the heart is restored, there is reason to believe that a spasmodic constriction has taken place." Hoc argumentum, utcunque, primo aspectu, speciosum sit, futile æstimabitur, si quod postea dictum est attente consideremus: "That during the whole course of the fever there is an atony subsisting in the extreme vessels, and that the relaxation of the spasm requires the restoring the tone and action of these." Ubi enim cordis actio, in idoneo gradu, restituitur, certum est vasorum extremorum atoniam amotum iri; et quoniam spasmus, ut hæc vult doctrina, post horum vasorum toni restitutionem, manere non possit, manifestum denique fit, symptomata ex cordis actione, in sanguine ad vasa extrema propellendo, languidiore pendere; nam, ut vel ex spasmō, vel ex cordis actione languida, oriantur, necesse est. Igitur vim admittere supervacaneum erat, quæ annon ipsa unquam

unquam extitisset, a quibus disputatur, et quæ, ut a fautore ipso Culleno dictum est, ubicunque noscitur, caliginem suo systemati offundit; et idcirco ibi tantum, ubi artis impotentia manifesta et magna est, in praxi debet admitti*.

4to. QUID, exposcere vellem, in febribus inflammatoriis, ubi auctus totius systematis arteriosi tonus, et necessarie nulla atonia est, spasmm sustinet? Nam atonia, ut causa spasmi sine qua non, haberi videtur.

5to. SPASMI autem opinio ulterius refutatur, cum contemplemur, quam rationi repugnans est, ut morborum tam diversorum, ac sunt typhus, et synocha vel phlegmasia, causa haberetur. Hos morbos ex diversis systematis statibus pendere, cuique, ut opinor, in aprico erit, si ad causarum naturam remotarum, methodosque medendi, animum adhibeat.

6to. ET denique. Quomodo iis in febribus, quæ toto decursu cum sudoribus profusis, qui non sunt levamini, comitantur, aucta cordis et arteriarum actio sustinetur? Hujusmodi exempla, ex Lettsomianis Londiniensis pauperum nosocomii commentariis, libro Clarkii de febribus, and Gregorii elementis, citat Dickinsonius. Noster Physiologiæ Professor suis in prælectionibus, de simili casu mentionem facit, qui sibi visum evenit. Iis in exemplis non ullus spasmus extitisset; et ejusmodi unicum, ad totam spasmi fabricam subvertendam suffecisset.

HÆ

* Preface to the First Lines of the Practice of Physic.

HÆ de doctrina spasmodica animadversiones, ut spero, fatis erunt, ad quemque præjudicii expertem cogendum, qui credat, nullum ei in natura fundamentum esse.

GAUBIUS dicit, quod, “Sola (proxima causa), integrum morbum ita constituit, ut indissolubili nexu cum eo cohæreat.” Et postea, quod, “Quæ morbum ita efficiat, ut illa posita, hic ponatur, durante duret, mutata mutetur, ablata tollatur*.” Causas proximas fere tantum ab investigatione remotarum obtineri, antea diximus. Auctor jam citatus ait, quod, “Qui, omnes et singulas remotas, ut una conspirant, intelligit, notitiam proximæ habet.”

CORPORIS igitur conditionem a remotis inductam, ut causam proximam habebimus. Causæ remotæ, potentiæ esse debilitantes, antea demonstratæ fuerunt; et debilitatem induci ulterius evincetur, dummodo ad phænomena frigus antecedentia † attendamus. Cullenus etiam observat, “That a debility lays the foundation of fever.” Et iterum, “In proportion to this and the power of the causes inducing it, the longer and more frequently repeated are the paroxysms.”

DEBILITATEM idcirco solam ut febris causam recipere necesse est: et quamvis tota forte phænomena de eo explicari non possunt, tamen major pars potest, et facilius forsitan quam ad virium operationem, spasmus inducentium, confugiendo; qui, ut jam probatum est, non existit; et qui, si evenire aliquando admittatur (quanquam arbi-

C

tror

* Vide Gaubii Pathologiam. Lines, Vol. I.


† Cullen's First

tror hoc fieri non posse) tantum veræ symptomata causæ est; æque ac sitis, pulsus frequens, &c. A Culleno observatur, plurima universæ debilitatis signa frigoris statum antecedere. Cordis actionem ad sanguinem in vasa extrema propellendum non satis valere, pulsus parvus et debilis, cutis pallor et siccitas, totiusque corporis contractio satis ostendunt. Frigus ipsum etiam hoc indicat; nam quoniam extremarum calor partium de sanguinis per vasa minima motu pendet, hoc motu vel languido vel penitus cessante, frigus invadit. Debilitatem, frigore durante, functionum omnium languor et inertia indicant. Hoc forsitan omnes facile concedent; at an caloris status, qui tam diversus esse videtur, eidem causæ imputetur? Non revera sed specie tantum differre, hoc probatur, quod ambos stimulantia abrumpunt, prorsusque sustollunt; dum evacuantia, omniaque debilitantia in pejus ruere efficiunt. Ex hoc igitur, quamvis uno in statu pulsus parvus debilisque, et in altero plenior validiorque est, ex eadem causa eos pendere, et gradu tantum differre, constat.

HUJUS differentię simulatę causam, licet valde difficile sit, jam explicare conabor.---Ante et per frigoris statum, cor debilitatum in vasa extrema sanguinem propellere non valet, qui ob eam causam, in corde et arteriis magnis accumulatur; hinc anxietas et oppressio circa præcordia. Cordis incitabilitate vel irritabilitate aucta, hoc viscus, per sanguinem inusitate accumulatum, ad contractiones validas stimulat. Majorem caloris copiam circuitus auctus evolvit, qui, ut in sanitatis statu, cum perspiratione nunc impedita, abire nequit; intus detentus systemati universus stimulus est. Quando per hunc stimulum incitatio satis restituta est, sudor emanat, auctus calor abit, et apyrexia sequitur.

HUIC

HUIC explicationi sine dubio multa objici queant ; illa autem ; nostrum principium subvertere, non possunt ; nam hoc, causis remotis methodoque medendi, de quo postea dicetur, ut stabili fundamento innitens, semper semperque stabit.



DE INTERMITTENTIUM VARIETATE.


APPELLATIONES diversas, secundum interval- lum vel temporis spatium inter unius et sequentis paroxysmi initia, intermittentes sibi compararunt. Quotidiana, tertiana, et quartana sunt maxime communes. Primæ viginti quatuor, secundæ quadraginta octo, tertiæ septuaginta duarum circiter horarum intervallum est.

PAROXYSMORUM frequentior recursus et major diuturnitas majorem debilitatem denotat: sic in quartana quam in tertiana, in tertiana quam in quotidiana, in hac quam in remittente, in remittente quam in continua minor est debilitas. Contra hanc sententiam objici queat, quod si ita esset, quartana facilius quam aliæ intermittentes, curari debet; hujus autem contrarium obtinere, nescit nemo. Hoc sic explicari velit Dickinsonius. “ In every disease according to the degree of debility, it sooner or later terminates ; the greater the debility, the sooner a fatal or happy event. Nor is it easy to conceive, that when the system is extremely injured, it is then capable of withstanding such a shock a considerable time ; the issue must be determined within a short period. The quartan therefore, as a chronic disease, consists in a particular state of debility not in
itself

itself great, but at the same time requiring the constant exhibition of tonic remedies to overcome it: for the fact is undoubtedly certain, that chronic diseases admit not so easily of cure as acute ones, though at the same time no one will alledge, that the debility in chronic affections is so great as in acute diseases."

QUOD ad paroxysmorum repetitionis causam spectat, me omnino ignorare, candidus confiteor. Debilitatis recursus videtur indubitabilis esse; et ut debilitas, non sine potentiarum debilitantium operatione, recurrere potest, mihi etiam tam certum apparet, quamvis a nobis raro discerni potest.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.



DE METHODO MEDENDI.

QUONIAM morbum ex debilitate pendere probavimus, consilium unicum formandum est; nempe, hanc amovere; quam ad perficiendam, medicamenta necessaria, sunt stimulantia diffusilia durabiliaque, et tonica. Stimulantia diffusilia sunt opium, potus vinosus et spirituosus, alkali volatile, &c. Durabilia sunt varia cibi genera, ex animalibus confecta; nonnulla etiam forte e vegetabilibus maxime nutrientibus. Tonica sunt cortex peruvianus, varia vegetabilia amara, et astringentia, tum vegetabilia tum mineralia.

PRIMO de remediis, dum adsit intermissio, necessariis

differere;

differere; demum quod, durante paroxysmo, opus est facto indicare volo.

ANTEQUAM observationes ullas, de remediis supradictis, facere progrediar, emeticorum exhibendorum proprietatem, ad viam cortici præparandam, non alienum erit considerare. In calidis regionibus et tempestatibus, si magna bilis quantitas in ventriculo hæere suspicetur, nau-seam ciens; vel si ex hujus organi debilitate, cibi indigesti copia in eo commoretur, mitis ipecacuanhæ dosis, primo impetu morbi, forsitan cum fructu, exhiberi potest; nam, facta contentorum ventriculi evacuatione, stimulantia postea data magis evalent. Debilitanti attamen vomitionis effectui, opio post operationem dato, ut Sydenhamio venit in usu, occurrere debemus. Vomitorium repetere, præsertim tempore morbi provento, etiamsi cruditatum collectio iterum fiat, non necesse habeo; nam, sustenta totius systematis incitatione, ad eas per vias naturales expellendas, ventriculus evalebit. At si violento cum vomitu, magnam debilitatem indicante, febris inceperit, emetica non solum non necessaria, sed etiam noxia essent: Igitur tali in statu, in stimulis maxime diffusilibus totam fiduciam ponere oportet. Quantum ipse observavi equidem, allegare possem, quod stimuli, omni fere in casu, primis etiam diebus, hujus evacuationis necessitati superfederent; nam intermittentes paucis corticis peruviani dosibus sanatas, sine prævio emetico vel cathartico, sæpissime vidi.

QUOD ad tonica spectat; hic tantum de cortice peruviano differere velim; quoniam, ad intermittentes curandas, ab omnibus fere præscribitur; et quia, quæ de eo dicta sunt, transferri in alia possunt. Ex hoc medicamento, ni magna in quantitate dato, parum commodi, ut Cullenus bene observavit,

observavit, est sperandum; a ʒss. ad ʒi. pulveris, tantum plerumque erit, quantum, uno tempore, ab adulto facile feratur; hæc dosis, quaque vel secunda quaque hora, pro re nata, per intermissionem repetatur. Optima corticis præparatio est pulveris mixtura, cum vino vel spiritu. Mixtura, cujus pars tertia spiritus fuit, cum corticis ʒvi, tam bonum effectum præstitit, quam ʒi. in alio vehiculo data, ut Lind invenerit. Ad continuæ typum quo propius accedit intermittens, eo major corticis copia necessaria fit: Et quodocunque inefficax hoc medicamentum est, ut iis in locis, ubi morbus malignior esse apparet, interdum evenit; inefficacia, haud noxiis viribus, sed virium impotentiaæ soli, ad systematis debilitatem superandam, attribuitur. Hoc in casu, cortici soli curationem committere, sine dubio inconsultum foret; igitur, quoniam remediorum vires semper morbi violentiaæ accommodatae essent, ad validiora et diffusiliora stimulantia statim confugiendum est.

IN intermittentium sanatione, potus vinosi et spirituosi, a Riverio, felici cum eventu, usurpati fuisse dicuntur. Supradictum est, corticis efficaciam, a spiritus additione, magnopere auctam esse; in hac forma etiam Lind, vehiculo jucundiorum fuisse, reperit; et ejus vis præstantioris, sic præscripti, edoctus, cum eo aromata, ferri præparaciones, &c. quæ nauseosum et injucundum reddunt, rarissime conjunxit. Quando ægri tam sunt debiles, ut sequente paroxysmo mors sit extimescenda, Cleg-hornius corticem cum cardiacis exhibit, quorum optimum esse vinum censet. Millar*, vinum, spiritum vini, et aquas compositas corticis operationi juvare, reperit.

De

* Vide Treatise on the diseases of Great Britain.

De hac re, plures auctores citare supervacaneum foret, etsi alii fere innumeri invenirentur. Quando medicamento-spirituoso vel vinoso utimur, mediocres doses præscribere licet; quas, antequam prioris effectus penitus cessavit, repetere debemus: Sic collapsus, si verbo Culleni utar, avertabitur, qui incitationem, per doses ampliores intervallis longioribus repetitas, effectam, excipere posset. Vinum et cortex sic inter se alternanda sunt, ut incitationis perdendæ discrimen prævertatur.

OPIUM vi potenter stimulante et valde diffusili potitur. Cum sedantibus fere semper collocaverunt medici; etsi in morbis inflammatoriis, ejus usum perpetuo interdixerunt, quoniam omne symptoma aggravare invenitur. Ei a Culleno vis duplex attribuitur; nempe stimulans et sedans; et hinc sudoris eliciendi explicationem dare velit; hac vasa extrema relaxante, dum illa vim a tergo adauget. Hæc opinio nullis bonis niti conciliis videtur. Omnibus in morbis, quorum fons est debilitas, ad somnum conciliandum, et symptomata adversa lenienda, ejus maxima utilitas nemini latet. Vir novissime citatus, remedium efficacissimum, ad tendinum subsultus et delirium amovenda, quæ in extremo febrium statu obveniunt, opium reperit. Hydropis plures casus, in Lond. Med. Observ. relati, hoc medicamine sanati fuerunt. Ut vero vis sedans probetur, hæc argumenta afferuntur; quod mortem aliquando affert, somnum conciliat, dolorem sustollit, &c. Mortem opio afferri lubenter agnosco; idem erit vini, similiarumque effectus, si eorum plusquam fatis est sumatur; at hunc ad vim sedantem imputare, a me longe abest. Si vitam fulgur et electricitas adimere possint, ob eam causam, ut sedantia habeantur? Hominisne mors de peripneumonia laborantis, et vel male vel non omnino

nino tractati, ad vim sedantem, et non potius ad indirectam debilitatem, a stimulo immodico inductam, attribuatur ?

OPIMUM nimis excitatis datum, pro somno, pervigilium conciliabit ; et in viribus integro etiam, hoc medicamentum, donec horæ nonnullæ post assumptionem elapsæ sint, id est, donec indirectæ debilitatis paululum supervenire incipit, rarissime somnum invitat. Qua de causa, iis in conditionibus, si hominem dormiturum esse optetur, ante horam somni exhiberetur. Opium, si dolor e statu systematis inflammatorio pendet, semper in pejus ruere facit ; sed in contrariæ morbis naturæ, contrarium effectum præstat. Turci, quoniam fortitudinem sibi imperit, ante prælium fumere dicuntur. De chirurgo legimus, qui antequam operationem perfecit, potionem opiataam semper hausisse dicitur, a qua stabilitatem et fortitudinem duxit.

QUOAD opii in intermittentibus usum ; auctoritate Culleni dicam, quod, ad paroxysmos occurrendos necessarium est, “ To excite the action of the heart and arteries, and to support that excitement till the period of accession is over.” Etiamque ut, “ There is perhaps no medicine that can be more effectually employed for that purpose than opium.” Iterumque dicit, “ Opium has prevented the fit, when employed an hour or two before the time of accession, without exciting sweat and merely as a stimulus and antispasmodic*.” Nos etiam certiores facit, ut, “ Opium, joined with the bark, makes it sit easier upon the stomach than with certain persons

* Vide Cullen's Treatise on the Materia Medica. Vol. II. art. Opium.

persons it otherwise would do ; and that a portion of it joined with two or three doses of bark, which are given immediately before the time of accession, enables it, in less quantity than it otherwise would do, to prevent the return of paroxysms." Hoc etiam facere dicit, ubi non est cortici purgatoria qualitas, quæ ab eo corrigatur.

SIMUL cum remediis supradictis, victu generoso ægros sustineri oportet. Juscula lauta, vel si vires ferre possint, cibus solidus e carne confectus et concoctu facilis, morbo bene accomodata videntur. Vegetabilia, nisi panem fermentatum, oryzam, &c. non concedere debemus. Cibus, instante paroxysmo, non est sumendus ; nam in ventriculo, tunc temporis impari ad eum percoquendum, aliquam molestiam creare possit.---Potus esse vinum, vinum cum aqua mistum, liquores Anglis punch et porter dicti, cum aliis similibus leniter stimulantibus, debent. Hi potus in sanitatis statu, si eorum non nimium sumatur, saluberrimi ; corpori enervato revera necessarii sunt. Digestionem expediunt, et debilitati, quæ a magis permanente cibi stimulo prodiret, occurrunt.

TAM in hoc quam in aliis debilitatis casibus, maximi momenti est exercitatio modica ; toti corpori stimulum valde naturalem salubremque impertit ; secretiones omnes promovet, et animum stabilem hilaremque reddit. Ambulatio et equitatio, dummodo corpus ad eas valeat, anteferendæ sunt ; si vero non, in curru gestatio, vel laneo panno perfricatio aliquo modo earum munere fungetur. Ab quavis fatigatione, maxima cum cura, caveret, quæ in debilitate augenda, valde perniciofa foret. Si pleno sub Jove, in cœlo puro et temperaturæ modicæ, exercitatio ad-

D

ministratur,

ministretur, hoc ejus operationi multum opitulari reperietur; et æger nociva sui corporis effluvia, quæ in cubiculo vel lecto detenta sunt, vitabit. Tempestatibus in hyemalibus, ad proprium calorem sustinendum, æger indusio laneo vestiretur; et indusium, five ex laneo five ex linteo fit, omnem post paroxysmum, mutari debet.

NUNC de paroxysmi regimine differere perventum est.— Quoniam ægri conditio hoc tempore exercitationis usum vetat, ut in lectum se reciperet, hortandus est; ubi, pro tempore anni sensuque ejus, stragulis tegi potest. Modica opii dosis postea exhibeatur, quod fere perpetuo vim frigoris minuit et calorem inducit. At non intermissione et frigoris statui solis, hoc medicamen accomodatur. Calore durante, hi sunt opii effectus, ut Lind observavit; “ 1st, It shortens and abates the fit; and this with more certainty than an ounce of bark is found to relieve the disease. 2dly, It generally gives a sensible relief to the head, taking off the burning heat of the fever, and occasions a profuse sweat, which is attended with an agreeable softness of the skin instead of the disagreeable burning sensation which effects patients sweating in the hot fit, and is always more copious than in those not sweating under the influence of opium. 3dly. It often produces a soft and refreshing sleep to the patient, tortured in the agonies of the fever, from which he awakes bathed in universal sweat and in a great measure free from all his complaints.” Vinum et spiritus salis ammoniaci eisdem effectus præstare cognita fuerunt.

LIQUORIS diluentis et cardiaci usum assiduum, fitis molesta, quæ fere perpetuo adsit, postulat; istiusmodi sunt, liquor punch dictus, spiritus et vinum cum aqua mista; &c.

&c. Hæc tepida sunt sumenda. Pulsus frequentiam minuere et omnia symptomata lenire, vinum etiam merum aliquando inventum fuit.

IN quibusdam intermittentibus, vesicatoria cum fructu applicari possunt. Ubi cum sopore, apoplexiam minitante, paroxyfmi invaserant, ex iis felicissimum effectum sæpius vidi. De eorum in febribus continuis usu, Lind idem notavit; et calorem, sitim, delirium, &c. omnia vel amota vel magnopere minuta ab iis, se reperire, etiam ineunte morbo, declarat. Alii, præcipue utilia esse in morbo provento, et solum ut stimulis internis adjuvantia, existimant. A communi sententia, Gregorius alienus esse videtur; nam, in suo Conspectu Medicinæ, dicit, "Ad summum igitur concludere æquum esset, medicinam in puris febribus tali haud ægre carituram esse auxilio (vesicatorio) nisi magnorum quorundam nominum auctoritas isti opinioni adversaretur." His in casibus, Gregorius, cataplasmata rubefacientia videtur præferre, ut a multis cantharidum incommodis prorsus immunia, et multo acrius et multo citius stimulantia.

ANNON in paroxyfmo ipso cortex peruvianus dandus fit? Medici, sola in intermissione, sine injuria, dari arbitantes, erga ejus usum, paroxyfmo durante, præjudicio abrepti sunt. Non certe autem dijudicare possum, an hoc non potius oritur a neglectu perscrutandi fundamenta, quibus præcepta nobis tradita nituntur, quam a vero incommodo ex usu experto. Si, ut probare conatus sum, morbus e toto in debilitate positus sit, inferremus stimulantia et tonica, omni tempore, æque utilia fore. At quoniam in re tam magni momenti, ratiocinatio a priori non potest admitti, nonnulla adducere, quæ argumenta sint, operam dabo.

OPII, quod stimulus est, magna in paroxyfmo utilitas antea dicta fuit. Corticis, in paroxyfmi tempore, exhibitio, ab opinione foramina perspiratoria constringendi, et sic morbificæ materiei expulſionem prohibendi, olim interdicta fuiſſe dicitur; et praxim, in hac theoria poſitam, etiam adhuc reſtare, ſine alio fundamento, a factis ſequentibus, probabile videtur. Lettſornius* dicit, " That a dry and dark colored tongue, a dry ſkin, urine without ſediment, deſipience, delirium, dyſpnœa, and continued fever, are the very circumſtances which have deterred phyſicians from uſing the bark. In a word, theſe are the very reaſons for which he would immediately give it." Non intermiſſiones et remiſſiones expectavit; ſed ſtatim poſt ſolitas evacuationes, corticem præſcripſit. Clarkiuſt etiam cenſet, " That this noble febrifuge may be given with the greateſt ſucceſs, not only in the remiſſions and exacerbations of fevers in hot climates, but even when they become continued." Millar caſum remittentis dedit, cum dolore pungente, tuſi vehemente, et mucii expectoratione ſanguinolenti, comitatum; his autem non obſtantibus, cortex, sæpe cum cyatho vini interpoſito, fuit efficaciſſimum remedium. Badenoch †, in febre remittente bilioſa, per evacuationes, remiſſionem vel intermiſſionem conciliare, expectavit; at ſe ſua ſpe falli dicit; nam morbus continuæ typum aſſumpſit, ſub quo multi perierunt: Poſtea corticis ʒi cum vino, quaque hora, triginta vel quadraginta ægris, ſub variis morbi temporibus laborantibus, dari curavit; et quamvis eorum nonnulli cis paucas moriendi horas fuerunt, poſt tres vel quatuor doſes, melius ſe habuerunt, et cito ad ſanitatem redacti ſunt.

HÆC

*† A Dickinſonio citati.
Vol. IV.

† Vide Lond. Med. Obſerv.

HÆC igitur, paroxyfimum e toto in debilitate effe poffitum, ulterius probant ; aliter ftimulantia et tonica noxia, et omnia debilitantia, ac in peripneumonia, utilia forent. Quod ne ita fe habeat, fi limites, huic differtationi præfcriptæ, finerent, per exempla fere innumera, probari poffit.

POST indicationes curativas, nempe, “ 1ft. In the time of intermiffion to prevent the recurrence of paroxyfims ; 2d. In the time of paroxyfims, to conduct thefe fo as to obtain a final folution of the difeafe ;” Cullenus tertiam dedit, “ To take off certain circumftances which might prevent the fulfilling of the two firft.” Prima harum conditionum dicitur effe ; “ A phlogiftic diathefis prevailing in the fyftem, to be removed by blood letting and the antiphlogiftic regimen.” Hanc diathefin et debilitatem, quæ morbi caufa eft, inter fe repugnantes effe, antea evincere conatus fum ; at hic una repetatur obfervatio, quod ad prima confilia peragenda, remedia præfcribere, quorum effectus eft, eam ipfam diathefin efficere, quam tertium confilium remove re duceret, multum a ratione abhorret.

SECUNDA conditio, quæ indicationum priorum peractionem impedit, dicitur effe, “ Congeftions fixed in the abdominal vifcera, to be removed by vomiting and purging.” Vel cortici vel præmaturo ejus ufui, tam hi congeftus, quam hydrops et icterus olim afcribebantur. Etfi hæc opinio jam fere oblivione obruitur, tamen talis cum eventus a morbi violentia vel diuturnitate originavit, pro remediis ftimulantibus et tonicis, quæ funt omiffa, evacuantia fubftituuntur : Hoc, ex opinionibus et præjudiciis femel ftabilitis, emergendi difficultatem oftendit.

HAS obftructiones a debilitate oriri, et quatenus hoc fieri

eri potest, amovendas esse, tantum assiduo usu cujusque remedi, ad systematis tonum restituendum adapti, mihi videtur. Quod naturæ inflammatoriæ actuosæ sunt, tam parum rationi congrua est, quam diatheseos phlogisticæ opinio. Sæpissime nos non penes est, aliquo modo eas remove; nam remedia generalia plerumque parum efficaciam in morbis localibus habent. Cortex peruvianus autem, vinum generosum, victus valde nutriens et concoctu facilis, exercitatio, et aer salubris, omne, quod effici potest, efficiet. Millar, corticem his in casibus efficacissimum esse, dicit, etiam post remedia potentissime laxantia et deobstruentia incassum data; et, ad hoc confirmandum, dedit casum. Cullenus, sua in Materia Medica, asseverat, ut si amara iis in casibus utilia sint, viribus tonicis efficaciam imputari necesse est. Cleghornius, corticem non solum non icterum producere, sed post oculorum flavedo apparet, ejus usum deferre valde periculosum esse, declarat. De hydropicis tumoribus, eadem dici possunt.

HUIC dissertationi finem non prius imponere possum, quam hujus almæ Academiæ Præsidi et Professoribus medicis, viris insigni morum probitate et benevolentia ornatis, a quorum prælectionibus tot et tanta beneficia accepi, grates publice habeam. Diu floreat scientiæ patroni, artis Apollinæ decora, et patriæ rebus in adversis columnæ.

FAXIT Deus ter Opt. Max. ut hæc mea studia et conamina dirigantur in Nominis Sui gloriam, proximorumque Salutem.

F I N I S.

C O R R I G E N D A .

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Pro.</i>	<i>Lege.</i>
11	ult.	“intematibus,”	intempestatibus,
13	21	“debiliantia,”	debilitantia,
—	26	“obstuenda,”	obstruenda,
22	2	“obervatur,”	observatur,
26	1	“sperandam,”	sperandum,
—	21	“venticulo,”	ventriculo,

Med. Hist.

WZ

270

D437d

1790

C.1

